

corporis imperficitur, et ex abstractione ab illo constituitur. Hæc autem ratio non probat efficaciter Deum de facto produxisse Angelos, sed solum probat id connaturaliter exigi ad perfectionem universi, et ad perfectionem lineæ intellectualis. Unde solum procedit ex suppositione quod Dei perfecta sunt opera, et maxime integrum est opus totius universi.

ARTICULUS II.

Utrum Angelus careat omni compositione materiæ, et formæ?

I. Etsi D. Thomas in articulo primo quæstionis probatum reliquerit dari creaturas spirituales omnino incorporeas, quæ sunt Angeli, quia intellectuales, restabat tamen dubium, an ista entitas spiritualis sit omnino expers omnis compositionis ex materia et forma, ita quod sit forma simplex subsistens, an vero detur in eis aliqua materia, sive similis nostræ, sive alterius rationis, sive corporea, sive spiritualis: licet enim apud D. Thomam idem sit aliquid esse corpus, et esse compositum ex materia, tamen apud alios non est idem: nam Averroes sensit cælum non esse compositum ex materia, et forma, licet sit corpus, quia extensum est, ut videmus, et Avicbron in libro fontis vitæ, quem citat D. Thomas opusc. xv, cap. v, et in hac quæstione, articulo tertio dixit substantias spirituales, quales sunt Angeli, esse compositas ex materia, et forma, ut ratione materiæ convenient cum natura corporea; et quidam ex theologis scholasticis etiam admittunt dari in Angelis materiam, ex qua componantur, sed spiritualement, et distinctam a natura corporali, quod tribuitur Alensi II

p. quæst. xx, membro I, in fine, et qu. XLIV, membro II; D. Bonaventuræ in II, dist. III, art. I, qu. I ad II; Aureolo apud Capreolum in II, dist. III, quæst. I, circa primam conclusionem et aliis. Quare distinctam difficultatem debuit D. Thomas excitare circa corporeitatem Angelorum, et circa simplicitatem, seu in compositionem ex materia, et forma, sicut etiam supra quæstione tertia; disputando de Deo primo ostendit in Deo non esse corpus, deinde non esse compositum ex materia, et forma.

SENTENTIA DIVI THOMÆ.

II. Certa nihilominus est D. Thomæ sententia, quæ duas continet partes.

Prima, Angeli non sunt compositi ex materia, et forma loquendo de materia corporali, qualis invenitur ad nos.

Secunda, Angeli ex nulla materia sunt compositi, etiamsi fingatur dari materiam spiritualem, quæ quantitati subjecta non sit. Illa enim dicitur materia corporea, quæ quantitate afficitur, quia omne quod est extensum, corpus est, unde sequitur Angelos esse formas simplices, id est, non habentes aliam entitatem quam formæ, in qua subsistunt quasi formæ completæ, et non facientes compositionem cum aliqua alia comparte quæ dicitur materia. Probat D. Thomas hanc sententiam primo generaliter ostendendo quod Angeli sunt formæ simplices, et consequenter omni materia carent. Secundo, discurrendo per utramque materiam, sive nostram corporalem, sive alterius rationis spiritualem, et singulas excludendo.

III. Primum probat D. Thomas opusculo xv, cap. xviii, ex Scriptura, et patribus. Ex Scriptura qui-

dem, quia Angeli nominantur virtutes, sicut dicitur Psal. cii: *Benedicite Domino omnes Angeli ejus, benedicite Domino omnes Virtutes ejus*: et Lucæ XXI: *Virtutes cælorum commovebuntur*; quod de sanctis Angelis omnes doctores exponunt. Si autem Angeli essent materiales ex quacumque materia, non possent dici virtutes, sed habentes virtutes, virtus enim est forma operativa: nihil autem compositum ex forma, et materia dicitur sua forma, sicut homo non dicitur sua humanitas, vel sua anima, vel sua virtus: esset enim incongrua prædicatio: Homo est anima, homo est virtus, sed est habens animam, et habens virtutem: ergo si Scriptura Angelos nominat Virtutes, sicut etiam nominat Potestates et Principatus, manifestum est quod sentit eos esse formas, non autem compositos ex materia, et forma, aut loquitur Scriptura in sensu improprio, quod sine ullo fundamento in hac parte diceretur, cum aliunde nobis non constet ex ipsa Scriptura Angelos esse compositos, ut dicamus improprie loqui quando illos vocat Virtutes.

IV. Ex patribus hoc idem probat D. Thomas et præcipue ex D. Dionysio, qui cæteris abundantius Angelorum notitiam nobis tradidit. Eamque doctrinam ex Apostolis hausit, præcipue ex Paulo, cujus discipulus fuit. Inquit ergo S. Dionysius de Angelis loquens in quarto capite de divinis nominibus, quod: «Intellectuales substantiæ ab universa corruptione, morte, et materia mundæ existunt, et sicut incorporeales, et immateriales intelliguntur.» Ubi non solum excludit Dionysius corporeitatem ab Angelis, sed etiam omnem aliam materiam; tum quia non solum incorporeales, sed etiam immateriales nominat. Similiter in primo capite de cœlesti hierarchia: «Hierarchias materialibus figuris variis

tradidit,» et in secundo capite ejusdem libri, quærit quare: «Sacri doctores ad corporalem formationem incorporealem, scilicet Angelorum venientes, non figuraverunt ea pretiosissimis figuris, sed immaterialibus substantiis, et deiformibus simplicitatibus terrenas figuras imposuerunt.» Ubi aperte supponit, Angelos ita esse immateriales, quod sunt simplices, et consequenter omni compositione carent. Quod est esse solum formas, quia non possunt Angeli esse sola materia, quia Angeli operativi sunt, materia autem sola, non est operativa, sed receptiva; et ita operatio sequitur formam. Si ergo Angelus est simplex, et operativus, ergo est forma, non materia. Citat etiam D. Thomas Augustinum secundo super Genesim ad litteram, ubi dicit, quod: «Conditio spiritualis, et intellectualis creaturæ lucis appellatione intimatur, quæ primo die est condita, in qua natura intelliguntur omnes sancti Angeli, atque Virtutes.» Et Damascenum, qui dicit, quod: «Angelus est substantia intellectualis, et incorporea.» Et sumit incorporeum pro eo, quod est immateriale: subdit enim, quod: «Incorporeus, et immaterialis dicitur Angelus quoad nos: omne enim comparatum ad Deum crassum, et materiale invenitur.» Sentit ergo Damascenus quod Angelus caret materia corporea, et quacumque alia materia compositiva, qualem nos habemus, quia non solum incorporeum, sed etiam immaterialem dicit respectu nostri. Quod autem comparatione ad Deum dicatur materialis, non est quia habeat materiam, quæ est pars compositi, sed quia non adæquat divinam simplicitatem, eo quod est compositus ex esse et essentia ex natura et subsistentia, habetque potentialitatem, et non est actus purus, potentialitas autem modum habet mate-

riæ, seu materialis subjecti respectu accidentium.

V. Secundo, probatur sententia D. Thomæ excludendo omnem rationem materiæ ab Angelis, et primo excludit materiam corporalem, qualis est in nobis in articulo secundo hujus quæstionis et opusculo citato xv, cap. vi et vii. Nam si in Angelis esset materia corporalis, non posset eadem pars, seu entitas materiæ informari a forma angelica spirituali, et a corporali: sic enim resultaret unum per accidens ex duplici forma, spirituali et corporali, quia haberet duplicem speciem, cum unaquæque forma suam speciem daret. Quare sicut anima hominis, quæ spiritualis est, nullo modo informat materiam cum aliis corporalibus formis constituentibus diversam speciem, sed habet suam materiam segregatam ab illis, ita si Angelus componeretur ex materia nostra, et forma spirituali angelica non deberet eandem materiam informare, quam aliæ formæ corporales, sed partem aliquam seorsum. Si autem materia illa quæ informaretur forma Angeli, esset diversa, et segregata a materia, quæ est sub forma corporea: ergo etiam erit capax ut dividatur ab illa parte materiæ, quæ est in corpore eo modo quo una pars materiæ dividitur ab alia, scilicet per quantitatem: nec enim alio modo materia, quæ in nobis est, dividitur, et segregatur in portiones materiæ, quæ sunt sub diversis formis, nisi per quantitatem: ergo si portio materiæ quæ informatur ab Angelo segregata est, et diversa ab ea quæ informatur formis corporeis ratione quantitatis divisa erit et segregata: ergo Angelus, qui est compositus ex tali materia, actus est divisus ab aliis corporibus per quantitatem. Et ulterius cum illa materia sit ejusdem rationis cum nostra, capax erit quantitatis, sicut

nostra, saltem radicaliter: imo si actu est divisa una pars materiæ ab alia per quantitatem, actu debet habere illam, alias non dicitur dividi per illam, si non afficitur illa. Sed Angelus, ut ostensum est præcedenti articulo est omnino incorporeus cum sit substantia intellectualis perfecta, cui intellectualitati obstat corporalitas, redditque minus perfectam substantiam intellectualem: ergo repugnat etiam quod Angelus sit compositus ex materia simili nostræ, sed pro eodem debet reputari quod careat corporeitate, et quod careat materia, quia non potest materia secundum aliquam partem sui uniri spirituali formæ Angeli, nisi separetur per quantitatem, atque adeo afficiatur illa: ubi autem est quantitas, ibi est corpus.

VI. Quoad secundam vero partem probatur a D. Thoma dupliciter, non posse esse in Angelo materiam alterius rationis a nostra, etiamsi fingatur esse materia spiritualis. Primo, ex ejus operatione, quæ nullam exigit materiam, et consequenter neque substantia Angeli quæ talis operationis radix est. Secundo, ex impossibilitate materiæ spiritualis.

Primum ostenditur, quia operatio propria intellectualis substantiæ est intelligere: intelligere autem, est operatio immaterialis, quia perficitur per denudationem sui objecti a conditionibus materiæ, non solum ut materia dicit corporeitatem, sed prout dicit modum recipiendi coactatum ad formas proprias, id est, ad recipiendum formas entitative, et ad componendum unum tertium sive substantiale, sive accidentale, non ut fiat alia a se, ut natura cognoscens; ut late ostendimus præcedenti tomo circa quæstionem xiv, disp. xvi, a. 1. Et breviter patet, quia intellectus recipit species intentionales modo immateriali, quia non

recipit illas, sicut materia recipit formam ad constituendam unam tertiam entitatem, sed recipit illas repræsentative, ita ut totum quod est in objecto, sit in intellectu, et sic intellectus fiat aliud a se. Ergo operatio intellectus, tam ex parte objecti quod potest intelligere in universali, quam ex parte modi recipiendi species, et informationes objecti repræsentati in illis, immaterialis est, quia modus recipiendi informationem objecti non est secundum materiales condiciones, ut loco citato explicavimus: et objectum in universali abstrahit a conditionibus individualibus, quæ sunt materiales condiciones. Ergo si operatio intellectualis non exigit materiam, præsertim quando ita perfecte est, sicut in Angelo, neque etiam substantia ejus eam exiget, quia substantia, seu natura est radix, et principium operationis: ergo si ad operationem illam intelligendi non exigitur materia, neque ad constituendum ejus principium in ipsa ratione naturæ spiritualis id exigitur. Et si fuerit perfecta in ratione intellectuali, et in spiritualitate, neque ex illa componi, neque cum illa componere, seu illi uniri exiget, sicut exigit anima nostra, propter imperfectionem suam in intelligendo, et dependentiam in accipiendo objecto a sensibus. Ulterius vero deducitur implicatio, et repugnantia spiritualis materiæ ex hac parte, et sistendo in hac ratione intelligibilitatis: quia ipsa conditio materiæ primæ, ut sit in communi sumptæ, etiamsi abstrahat a corporea, et spirituali directe opponitur spiritualitati: ergo repugnat materiam primam esse spiritualem. Consequentia patet, quia ratio contrahens non debet repugnare, et opponi rationi communi contrahibili, cum simul uniantur et component. Antecedens vero patet, quia modus materiæ primæ in

communi sumptæ est esse receptivam formarum stricto et coactato modo, scilicet faciendo illas sibi proprias, et componendo aliquod tertium entitativum ex eis, sive substantiale, sive accidentale: modus vero spiritualitatis, prout talis, est excedere istum modum sic strictum et posse recipere formas intentionaliter, id est, cum tanta amplitudine ut faciat alia a se, et uniat sibi res, etiam quæ secum non componunt, sed extra se sunt objective, et intelligibiliter, quia spiritualitas fundat intelligibilitatem; ergo modus spiritualitatis pugnat cum modo materiæ primæ.

VII. Alterum principium quod tangit spiritualis materiæ impossibilitatem ut distinctæ a corporali traditur a D. Thoma in dicto opusculo xv, cap. vii, cujus vis consistit in hoc, quod si materia illa distinguitur a tota materia corporali, neque potest in corporibus inveniri, necesse est quod sit spiritualis: ergo oportet quod excedat materiam corporealem non solum ratione diversæ potentialitatis, sicut materia cœlestis excedit sublunarem in sententia quod ab illa distinguitur specie, sed etiam ratione majoris abstractionis, et actualitatis eo quod materia illa non est corporea, sed spiritualis (ut ponitur) ergo abstrahit ab omni ratione corporea, et excedit illam, sive sit forma, sive materia, quia entitas spiritualis altioris ordinis est quam corporalis: ergo quælibet substantia spiritualis, ut spiritualis sit, depurari debet ab omni eo quod corporeum est, et altioris ac perfectioris ordinis esse, sed forma corporea est actus, et non pura potentia; sicut materia: ergo si exceditur a materia spirituali, quia spiritualis substantia est, oportet quod illa materia actualior sit, seu magis habeat de actu quam quælibet forma corporea. Si autem

non est pura potentia, sed habet in se actualitatem, quatenus est perfectior quacumque entitate corporali, sive forma, sive materia; ergo non potest esse materia substantialis constituens cum forma compositum substantiale per se, quia de ratione formæ substantialis componentis substantialiter, et per se unum, est quod det primum esse, quia si dat esse substantiale, illud debet esse primum, quia illud dicitur substantiale, quod substat aliis, et est fundamentum cæterorum, et consequenter est primum: ergo materia cum qua componit forma substantialis dando primum esse, necesse est quod sit pura potentia, et nullum habeat actum, alias si habet illum, forma illi adveniens non dat primum esse, si quidem supervenit materiæ habenti actum, et esse. Et hoc currit in quacumque materia sive spirituali sive corporea hoc ipso quod est materia ordinata ad componendum cum forma unum ens substantiale, et per se, accipiendo primum esse ab ipsa forma.

Solum responderi potest, vel quod non est necesse quod materia prima careat omni actu, saltem entitativo, licet careat esse formali. Unde ex hoc non convincitur, quod non possit dari materia spiritualis eo quod non sit pura potentia, et sit excellentior omni actu corporeo: semper enim manet in pura potentia ad formas spirituales, licet comparatione ad genus corporeum sit superior, et actualior illo, sicut cælum in ratione corporis incorruptibilis est excellentius homine, licet simpliciter sit inferius, scilicet in esse viventis. Vel secundo dicitur quod materia illa spiritualis non est actus spiritualis, sed in potentia sicut materia nostra non est actu corpus, sed in potentia, quia susceptiva est formæ corporeæ: et

tamen cum hoc stat quod sit perfectior materia, et altior quam corporea, quia dicit ordinem ad formam altiorem, scilicet ad spiritualem, et modo altiori, quam nostra, sicut in opinione S. Thomæ materia cæli est nobilior sublunari, non quia sit in se entitas actualis perfectior, sed quia dicit ordinem et capacitatem ad perfectiorem formam, et sub modo perfectiori scilicet modo incorruptibili.

VIII. Sed contra primam responsionem imprimis instari potest ex generali doctrina a nobis tradita in primo physicorum et in primo de generatione et aliis locis, quod materia prima necessario debet carere omni actu entitativo, si caret omni actu formali, eo quod actus entitativus, qui est existentia, nullo modo convenire potest, nisi mediante formali; tum quia forma est actus primus, et existentia ultimus in ordine entitativo, cum sit ultimum quod intendit agens, et tunc cessat actio, quando ponitur existentia, et terminus in facto esse; tum quia existentia non habet determinatam speciem nisi ratione formæ ad quam sequitur, quæ est prima ratio specificandi, unde perinde est ponere actum entitativum sine forma ac ponere existentiam sine specie a parte rei: materia enim ex se nullam habet speciem in actu determinatam, quia nullam habet formam, quæ est ratio et principium ejuscumque specificationis, sed solum est capax ejuscumque speciei, sicut ejuscumque formæ. Sed dato quod materia prima habeat ex se actum entitativum, fortius instauratur nostrum argumentum, quia in tali casu materia spiritualis haberet actum entitativum spirituales: sed actus entitativus, seu esse spirituale excedit quodcumque esse, et quacumque existentiam corporalem, sive sit formæ, sive

materiæ, quia superioris ordinis est: ergo ipsa materia spiritualis quæ tam perfectum esse habet ex se, etiam ex se superat in actualitate omnem formam corpoream: quod autem est entitas actualior quam forma quævis corporea, non potest esse pura potentia in ratione substantiæ, sicut requiritur ad rationem materiæ substantialiter componentis, quia tunc non solum excedit actum entitativum, sed etiam formalem, nempe formas corporeas: ergo non solum est actus entitativus, sed plusquam formalis, quod est contra rationem materiæ quæ in genere substantiæ debet esse pura potentia, saltem excludendo omnem actum, et perfectionem formalem. Et licet formæ corporeæ possint esse in alio genere nobiliores, scilicet in informando, tamen ad exclusionem materiæ sufficit quod in genere substantiæ non sit pura potentia.

IX. Contra secundam autem responsionem instatur, quia licet una materia possit differre ab alia per ordinem ad formam extrinsecam, quam respicit, et penes modum diversum recipiendi, tamen semper in se debet supponi quod sit pura potentia in genere substantiali, eo quod potest componere cum forma substantiali recipiendo ab ipsa primum esse simpliciter; hoc autem non consequitur si semel ponimus dari materiam spiritualem, quia licet intelligi possit quod in comparatione ad formas spirituales sit in potentia vel imperfectior illis, tamen comparatione ad naturam corpoream necessario debet habere majorem perfectionem quam illa, quia elevatur supra omnem ordinem naturæ corporeæ, et abstrahit ab omni imperfectione corporalis naturæ: ergo hoc non potest intelligi, nisi habeat actualitatem entitativam, et substantialem, quæ excedat actualitatem naturæ cor-

poreæ, quia per solam puram potentiam non posset habere perfectionem supra totam actualitatem ordinis corporei: perfectio enim sequitur ad actualitatem, non ad potentialitatem in entibus: sicut etiam videmus quod intellectus possibilis nostræ animæ, licet sit in pura potentia intelligibili ad omnes formas intelligibiles, tamen quia spiritualis entitas est, excedit in perfectione omnes formas corporeas et habet actualitatem perfectiorem illis: ergo similiter materia spiritualis licet esset in potentia ad formas spirituales, tamen in se deberet habere actualitatem superantem omnem actualitatem corpoream, et consequenter in genere substantiæ deberet habere aliquem actum; et sic non posset componere cum forma substantiali accipiendo ab ipsa primum esse simpliciter in genere substantiæ.

Unde patet, non esse simile de materia cœlesti, et sublunari, quia materia cœlestis etiamsi specie distinguatur a sublunari, tamen cum corporea sit non est necesse quod habeat elevationem secundum actualitatem supra formas corporeas, sed quod maneat in pura potentia, solumque distinguatur a materia sublunari per ordinem ad diversam formam quam recipere potest, et diversum modum recipiendi illam quam materia sublunaris, scilicet modo incorruptibili: materia autem spiritualis si daretur, ex vi suæ spiritualitatis non solum elevaretur supra materiam corporalem, sed etiam supra formas corporales, ut ostensum est: quod non posset esse manendo in pura potentia substantiali, sed retinendo actualitatem etiam formalem, scilicet supra illas formas.